

05

A

647





IN NOMINE JESU!
DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS
VVITTEBERGENSIS,
JOHANNES

Deutschmann/

S.S. Theologiæ Doctor, Ejusdemq;

Prof. Publ. Ordinarius, & Alumn. Electoralium
Ephorus,

DOCTORALEM SOLEMNITATEM INTIMATURUS,
LECTORIBUS UNIVERSIS

GRATIAM, PACEM, ET QUÆVIS ALIA
CORPORALIS ADVENTUS CHRISTI, SIVE

ΚΕΙΜΗΑΙΑ, SIVE PRIVILEGIA,
SUB ANNI ECCLESIASTICINI NOVI FELICIBUS
AUSPICIIS,

EX ABUNDANTISSIMIS HUIUS ADVENTUS THESAURIS
INTIMA DEVOTIONE CORDIS
PRECATUR!

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXVII.



I. N. J.



HECCE VENIO : in volumine
libri de me scriptum est, ut facerem voluntatem tuam, DEUS MEUS, & legem tuam in medio cordis mei, nec absq; mentis æterno consilio, nec absq; firmo Veniendi proposito, nec absq; sincero cordis gaudio, clamat ipse Messias, Prætor præconum, Doctor Doctorum, Magnus noster Ερχόμενος, CHRISTUS JESUS! Verba sunt cetero digna, sensu plana, Spiritu, fructuq; plenissima! Cernimus in his illustre salutaris Adventus vaticinium, admirandum Domini Venientis Officium, & pulcherrimum Doctoralis inανότης & autoritatis Elogium! Non Angelus, non homo nudus, his in verbis loquitur, suumq; nobis Adventum pollicetur; sed Angelorum Dominator, & hominum omnium Creator, æternus DEI Filius, consiliorum divinorum condus promus, regniq; Cælorum Oeconomus, de gratioso suo in carnem, & ad Doctorale munus Adventu, cunctis in tenebris ignorantia ledentibus, & doctrina salutis indigentibus, verbis evidentissimis vaticinatur. Evidentia verborum, cohærentia præcedentium & sequentium versiculorum, eminentia mysteriorum, & alia documenta plurima, satisq; ponderosa, xpi τήνος indubitatis evincunt, non alium hic intelligendum esse Præconem, nec ad alium hunc vaticinium dirigendum esse sermonem. David equidem Internuncius, & ministerialis hujus vaticinii Testis est, sed minime Dominus & Antistes. Æternus λόγος per linguam ipsius hic locutus est II. Sam. XXIII. 1. 2. Rex autem Vates, neque de semetipso (prout cum Judæis R. David Kimchi, Aben Ezra, Salom. Jarchi, multis etiam aliis, Calvinus, Marloratus, Hugo Grotius, aliiq; citra textus & contextus, ipsiusq; veritatis suffragium, malè volunt,) neq; de quibusvis sanctis, vel electis,
) : (2 quod



05 A 647

(quod *Martinus Bucerus* & alii presentis *Oraculi* tortores intendant,) neq; de se proprio, de *Messia* tantum *mystico sensu*, (quæ *Cornelii Jansenii*, *Gandaviensis Episcopi*, *Gvilb. Estii*, *Professoris Duacensis*, & aliorum, sententia,) verba facit, sed ad solum *Messiam* unicè, propriè, *literaliter* respicit, & in persona *Messia*, *corporalem Adventum* Ejus clarissimo vaticinio prædicat. Hic enim est καὶ ἔξοχήν Ερχόμενος Gen. XLIX. 9. Hagg. II. 8. Matt. XI. 2. &c: Huic præsens ECCE, tanquam NB *Spiritus Sancti* principale, tanquam *suscitabulum* omnium populorum universale, tanquam *Symbolum Adventus* Salutaris infallibile, soli competit: Hic solus verè dicere potest, *Ecce Venio*, seu *semper Præsens*, *semper Veniens*, cum solus sit ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ Ερχόμενος, teste *Johanne*, *Apoc. I. 4.* imò tanquam ὁ Μάγιστος ὁ πιστός v. 5. testatur ipse v. 8. Εγὼ εἶμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω, Ἀρχὴ καὶ Τέλος, ὁ Κύριος, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ Ερχόμενος, ὁ Παντοκράτωρ. Hic solus est, de quo passim, & ubiqve principaliter in volumine libri (vid. *Sacri Codicis*, qui solus καὶ ἔξοχήν liber est, & idem Heb. במגילת ספר textus infert, juxta *Talmudicum* illud: *Tota omninò Lex, id est, Sacra Scriptura, vocatur Megilla, sicut scriptum est במגילת ספר, In volumine libri scriptum est de me Psal. 40. v. 8. Gittin. fol. 60. 1.) scriptum est. Hic Scriptura Sacra nucleus, hic ejus primarius scopus est. Messias præcipuus, proprius, & perpetuus Scripturae Canonicae Thesaurus est, De hoc Scripturae principium, medium, atqve finis, luculentissimum perhibet testimonium, sicut ipse *Christus Job. V. 39.* disertis verbis indicat. *Tota scriptura non Davidis, non alius fidelis*, sed solius *Messia* continuū testimoniū. Totus hic *Psal. XL.* illustris de *Adventu Christi* commentarius est. Ipse *Dominus Veniens*, nostri, nostræqve certitudinis & salutis, causa, factus *Præco* prædicens: *Ecce Venio.* Maximum hoc *Adventus* *Mysterium*, summum Ejus fastigium, optimum illius præsidium, atq; beneficium est. In hoc *Adventu* salutari conteritur caput antiqui serpentis *Gen. III. 15.* & omne malignum ejus opus dissolvitur *I. Job. III 8.* In hoc *Adventu* stimulus mortis, omne peccatum, frangitur, mors ipsa per victoriam tollitur *I. Cor. XV. 55. 56.* & is, qui mortis habebat imperium, id est *Diabolus*, destruitur *Heb. II. 14.* In hoc *Adventu* regnum tenebrarum dissolvitur, & regnum lucis aperitur *Esa. IX. 1. Match. IV. 16.* In*

16. In hoc Adventu potestas tenebrarum supprimitur, & translatio peccatorum in regnum Filii dilectionis instituitur Col. 1.13. In hoc adventu reatus maledictionis & condemnationis peccatoribus aufertur, omnis verò benedictio per Dominum Venientem confertur, cum in Ipso, tanquam unico SEMINE BENEDICTO Gen. III. 15. Gal. III 8. benedicantur universae cognationes terrae Gen. XII. 3. omnes Nationes terrae c. XII. 18. omnes Gentes terrae c. XXII. 18. XXVI. 4. In hoc Adventu Deus homini jungitur, Homo Deo conjungitur. Gaudemus in hoc Adventu semper omnes, quotquot Christi fideles sumus, Christi regnum incolimus, & vera fide salutes Adventus fructus excipimus, in primis autem hoc tempore, quo Novum Annum Ecclesiasticum, per DEI Gratiam, inchoamus, & anniversaria solennitate, juxta Militantis Ecclesiae vetustissimam sanctionem, Adventus Dominici memoriam celebramus. Adventus Mystera praesenti tempore propria sunt, ejus beneficia nobis perpetua sint! Pater omnis gratiae coronet hunc Novum Ecclesiasticum Annum gratia copiosa, tum Ecclesiae, tum Politiae, cum primis etiam Academiae nostrae, & in eadem Facultati nostrae Theologicae! Aperiat fontes benedictionis & pacis, & operiat Doctores benedictionibus, ut eant de virtute in virtutem, juxta Vulgatum, de victoria in victoriam, juxta textum Hebraeum, & videatur Deus Deorum in Sion, Psal. LXXXIV. 8. veramque pacem, tum Ecclesiae, tum Germania turbatae caelitus restituat, propter Pacis Principem, qui Dominus Adventus: Esa. IX. 6. Hoc autem Oraculum non tantum evidentia sua nobis Dominum Venientem monstrat, sed etiam sufficientia, vel perfectione sua totum Domini Venientis Officium demonstrat, siquidem propterea venire voluit, ut voluntatem DEI Patris faceret. Haec Patris Voluntas omne Christi mysterium includit, omne Christi Salvatoris officium respicit, omne pariter ejus beneficium comprehendit. Patris Voluntas includit Mysterium conceptionis, dum, juxta Patris voluntatem, Legatus caelestis expeditionis mysterium omne conceptionis, & Mariae primum Luc. I. 28. 31. 35. & postea Josepbo Matt. I. 20. seq. annunciavit: Mysterium Nativitatis Luc. II. 9. 14. Nam cum venisset plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum DEI consequeremur, Gal. IV. 4. Mysterium passionis, sicut ipse testatur Matt. XXVI.

39. Pater

39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Conf. v. 42. Mysterium mortis, sicut hoc Davidis Oraculum ipse Spiritus Sanctus ad mortis Christi sacrificium refert Heb. X. 9. 10. &c: Hæc DEI Voluntas respicit etiam omne Christi Salvatoris Officium. Nam juxta Propheticum munus statim à pueritiæ primis annis voluit esse tantum in his, quæ fuerunt τὸ τῆς Πατρὸς Luc. II. 49. & in ministerio prædicationis, omnem suam doctrinam, omne præconium, & omnia miracula, quibus doctrinam Evangelicam confirmatam dedit, ad Patris voluntatem unice referre contendit Job. IV. 34. VI. 38. unde tantum quærere studuit non voluntatē suā, sed voluntatē ejus, qui miserat ipsum, Patris, Job. V. 30. juxta Sacerdotale munus semetipsum humiliavit, factus in omnibus obediens Patri usq; ad mortem, mortem verò crucis Phil. II. 8. juxta Regium munus ad nutum, & voluntatem Patris resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, & ad dextram DEI consedit &c: Voluntas deniq; Patris omne beneficium Mediatoris Venientis comprehendit, ut ipse Christus clare satis insinuat Job. VI. 38. Descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me: v. 39. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die, v. 40. Hæc est autem voluntas (Patris mei), qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Sic igitur Christi via, nostra via, Christi vita, nostra vita, Christi merita, nostra merita, Christi salus, nostra salus, modo per fidem hæc omnia firmiter applicentur. Postremo Psalmodicum Oraculum Doctoralis inavó-
 τῆς & autoritatis Elogium nobis offert, quia DEI legem in medio cordis sui possidet. Lex DEI verbum DEI, voluntas DEI, sive legalis illa sit, vel Evangelica, quæ cuncta regni cælorum continet mysteria. Lex DEI justitia DEI, quam primus homo per Diaboli seductionem violavit, secundus Homo, Christus, per Diaboli destructionem restauravit, totamq; legem obedientiã, quam activam vocant, adimplevit, legisq; maledictioni, vel condemnationi, per obedientiam, quam passivam appellant, in omnibus satisfecit. Lex DEI sapientia DEI, cum omnia DEI Mysteria, vel arcana, comprehendat: nam in Ipso sunt absconditi omnes thesauri
): (3 sapien-*

*sapientia divinae Col. II. 3. ipse Patris sapientia Prov. IIX. 1. & nobis à DEO factus sapientia I. Cor. I. 30. super quo requiescit Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae & timoris Domini Esa. XI. 2. Hic verè est Propheeta, qui venire debuit in hunc mundum, ex iudicio populi Job. VI. 14. Propheeta magnus, qui surrexit inter Iudeos, dum populum suum Deus visitavit Luc. VII. 16. Propheeta καὶ ἔξοχόν, de quo Moses vaticinatus erat Deut. XIX. 18. Hic Evangelista principalis Esa. LXI. 1. Doctor Doctorum, qui solenniter à Patre caelesti renunciatus Matt. III. 17. & omni populo caelitus, ut ipsū solū audirent, cōmendat⁹ est Matt. XVII. 5. Horum omnium sanctissimam memoriam praesenti tempore grata devotione repetimus, dum sub auspiciis Annis Novi Ecclesiastici primordiis, & ipsa Dominica prima Adventus, Licentiatum SS. Theologiae, quavis laude, quavis commendatione, quavis doctrinam, & Theologicam eruditionem, quavis vitam, & Christianam conversationem, in publicum producimus, nim. Virum Summe Reverendum, Amplissimum, Excellentissimum, DN. LIC. JOHANNEM ANDREAM LUCIUM, Dresdensem Misnicum, Serenissimi atq; Potentissimi Elect. Saxon. Ecclesiasten Aulicū, nunc Vocatum Ecclesiae Dresdensis Pastorem, Ejusdemq; sicut & Vicinarum Superintendentem, & in Electorali Protosynedrio Consiliarium Designatum, Eiq; Supremum Doctorum Theologiae Gradum, cum omnibus Privilegiis, ac Honoribus, in Domino decernimus. Producimus in Ecclesiae theatrum Doctorandum, non juniorem, sed Seniore, non primum de Ecclesia Christi bene meritum, sed jam optime meritum, non Timotheū, sed Paulū, vel Pauli σούβερον, LUCIUM, Act. XIII. 1. Meritus est optime de Ecclesia Dresdensi, cui jam olim donis suis egregiis docendo praefuit, Eiq; nutu Divino vocatus ad Superiora, maximum sui desiderium reliquit. Meritus est optime de Aula Electorali Saxonica, cui per lustra fere quatuor omni fidelitate ministerium suum praestitit. Meritus est optime de publico Ecclesiae Catholicae bono, dum scriptis etiam publicis alibi locorum innotescere, Sacrosanctū DEI verbum eruditis & accuratis commentationibus exponere, & in absconditis Apocalypseos Johanneae mysteriis enucleandis corticem aliis frangere, ac instar Φωσῆς, vel Δαδ' ἄχ' lucē, & facē praeferre voluit. Sed haec, & alia pluribus à Nobis Programma. re peculiari sunt exposita. Nunc potius gratulamur Ecclesiae Christi de tanto Gratiae divinae Deposito, caelestisq; sapientiae Promo
Condo,*

Condo, qui per DEI providam curam in Ecclesiae Domum, ceu *Doctor Novus*, introducit, ut in *Illustri Collegio* suis *consiliis* saluberrimis integra, quae sunt *Ecclesiae*, conservare, collapsa restaurare, nutantia consolidare debeat. Adsit *Spiritus Sapientiae & prudentiae, Spiritus consilii & dexteritatis, Spiritus roboris & fortitudinis*, & ea, quae faciunt ad *veritatis & pacis* custodiam, consilia caelitus suggerat, atque *successuum felicitate* semper eadem promoveat! Gratulamur *Academiae nostrae* de *Patrono* ac *Ephoro* benevolo, eique vires corporis ac animi semper integras, & omnium *consiliorum* atque *laborum sacrorum* eventum exoptatum, caelitus apprecamur! Gratulor etiam *nostrae Facultati Theologicae* de *felicitibus Anni Ecclesiastici Novi auspiciis*, de quibus in *Domino* gloriari fas est. Primus anni dies nobis *sacrae festivitatis* dies est, dum per *Gratiam DEI* paternam *Solemnitatem Doctoralem* intimare licet. *Prima septimana* novae *benedictionis divinae* vates, dum ipsam *Aulam Doctoralem* nobis offert. Et in *Domino* vel maxime gaudemus, quod in *Virum Summum, & Theologum praecclare meritum*, sub his *primis anni sacri exordiis*, *Doctorales Honores & Privilegia* conferre, caelitus nobis datum sit! DEUS BENEDICTUS sit in his omnibus!

Quod igitur *felix* atque *faustum*, *Ecclesiae, & Reipubl. literariae* maxime *salutare* esse jubeat *Dominus Adventus*, ac *Princeps Doctorum, Christus Jesus*, ex *Senatus-consulto Venerandi Collegii Theologici*, PANEGYRIN DOCTORALEM publico Programmate nunc intimare placuit, quia IN NOMINE SACROSANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI JOHANNIS GEORGII SECUNDI, DUCIS SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE ET MONTIUM, SACRI ROMANI IMPER. ARCHIMARESCHALLI, ACELECTORIS, LANDGRAVII THURINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, ET UTRIUSQUE LUSATIAE, BURGGRAVII MAGDEBURGENSIS, COMITIS DE MARCA ET RAVENSBURGO, DOMINI IN RAVENSTEIN &c: &c: DOMINI ET NUTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI, autoritate & auspiciis, RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO, VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DN. JOHAN. STRAUCHIO, MEDIC. & PHIL. DOCT. EJUSQUE, UT ET ANAT. & BOTAN. PROFESS. PUBL. ORDIN. DOMINO COLLEGA, COMPATRE, & AFFINE MEO

HONO-

HONORATISSIMO, PROMOTORE AC BRABEUTA, VIRO SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO, & EXCELLENTISSIMO, DN. D. ABRAHAM CALOVIO, THEOLOGO SUMMO, PROFESSORE ACADEMIÆ NOSTRÆ PRIMARIO, ECCLESIAE WITTEBERGENSIS PASTORE, & TOTIUS ELECTORALIS CIRCULI SUPERINTENDENTE GENERALI VIGILANTISSIMO, CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSORE SENIORE GRAVISSIMO, DOMINO COLLEGA, COMPATRE, SOCERO, ET IN CHRISTO PATRE MAXIMOPERE VENERANDO, VIRO LAUDATISSIMO, superius nominato, *supremos in Theologia Honores, cum omnibus privilegiis, ex Imperatoria & Electorali autoritate, Facultas nostra Theologica, In Templo Academico, ad proximum Martis Diem, qui Mensis Decembr. Quartus erit, distribuere constituit. Hanc Doctoralē Solennitatem, ut post signum Campanæ Majoris datum, MAGNIFICUS ACADEMIÆ RECTOR, PATRONI ET PROCERES ACADEMIÆ, SENATUS OPIDANUS, VERBI MINISTRI, FACULTATIS PHILOSOPHICÆ ADJUNCTI, CUM UNIVERSIS ACADEMIÆ CIVIBUS, ET ALIIS HOSPITIBUS, magnifica & honoratissima sua præsentia condecorare, DEUM pro SERENISS. ELECTORIS SAXONIÆ, atq; PRO ELECTORIS, & TOTIUS SERENISSIMÆ FAMILIÆ incolumitate, Ecclesiæ Christianæ salute, Academia nostra integritate, & Reipubl. literariæ felicitate, devotissimis precibus nobiscum ardentè invocare, Noviq; DOCTORIS, Honores, Labores, Consilia, Successus, ac exoptatos Eventus, PATRI MISERICORDIARUM devote commendare velint, Meo, Totiusq; Collegii Theologici nomine reverenter, officiose, & amice oro atq; contendendo. Ipse Dominus Adventus, Christus Doctor, adsit sua gratia, suaq; benedictione, ceu fons benedictionis, cælitus institutum nostrum coronet, ut & nos voluntatem Patris cælestis faciamus, & Legem Ejus in cordibus nostris possideamus, ac ipsius membra genuina perpetuo maneamus! Ipse, tanquam Autor & Doctor Veritatis, cælestem Veritatem inter nos absque fuce & damno custodiat, & tanquam Princeps Pacis, Ecclesiæ atq; Patriæ nostræ, simul & Vicinis Regnis, pacem gratiose restituat, ut in unitate Spiritus Nomen ejus sanctificare, & in omnibus beneficiis Ipsum celebrare possimus, idq; faciat per & propter Adventum suum Gratosum! HOSIANNA!*

P. P. sub Facultatis Theologica Sigillo Dom. I. Adventus Anno M DC LXXVII.



05 A 647

ULB Halle 3
004 208 250




LD 77

0de







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TE JESU!

NUS

FACULTATIS

RGENSIS,

NNNES

mann/

ctor, Ejusdemq;

Alumn. Electoralium

US,

TATEM INTIMATURUS,

UNIVERSIS

, ET QVÆVIS ALIA

TUS CHRISTI, SIVE

RIVILEGIA,

CINOVI FELICIBUS

IS,

S ADVENTUS THESOURIS

ONE CORDIS

IR !

KELII, Acad. Typogr.

LXXVII.